

Marci mysticum evangelium

E Graeco in Latinum convertit
atque praefatione
et annotationibus instruxit

Petr Březina

Mortonus Smith, litteras manu scriptas in monasterio sancti Sabbae, haud procul ab Hierosolymis, anno MDMLVIII pervestigans, in extremo libro, qui saeculo XVII typis expressus erat, verba manu inscripta, quae ignotae epistulae Clementis Alexandrini instar habere videbantur, repperit. Verba duas paginas universas implebant et tertiae paginae partes duas, in qua pagina repente desinebant epistula ad finem non perscripta. Utrum exemplar epistulae a Clemente scriptae an falsum sit, in dubio est. Auctor epistulae Theodorum quendam certiore facit de Marci mystico evangelio, quod Alexandriae asservetur et iis tantum legatur, qui magnis mysteriis initiuntur. In epistula, quae Marci mystici evangelii unicum testimonium est, duo loci ex hoc evangelio deprompti leguntur.

Appellatio Graeca τὸ τοῦ Μάρκου μυστικὸν εὐαγγέλιον ex ipsa epistula petita est, in qua hoc scriptum τὸ μυστικὸν εὐαγγέλιον appellatur et propter perversam haereticorum interpretationem quisque admonetur, ut neget τοῦ Μάρκου εἶναι τὸ μυστικὸν εὐαγγέλιον.

Mysticum evangelium idem Marcus scripsisse dicitur atque id evangelium, quod Novo testamento continetur. Mystici evangelii, quae exstant, fragmenta e locis de evangelio secundum Marcum depromptis composita esse videntur neque impediri possumus, quin scriptorem mystici evangelii omnia quattuor evangelia, quae canonica dicuntur, novisse putemus. Fragmenta mystici evangelii e CLXXXI verbis constant; quorum cum nonnulla aut eadem forma aut alia (casu nominativo, genitivo, numero singulari, plurali, tempore praesenti, praeterito...) pluries reperiuntur, omnia ad LXXXII tantum lexicis vocabula pertinent. Si ambo fragmenta ex iis verbis, quae in evangelio secundum Marcum reperiuntur, componere velis, frustra non quaeras nisi octo verba (ὀργισθεῖς, κῆπον, ἀπεκύλισε, νεανίσκου, πλούσιος, ἔμεινε, ἐπέστρεψε, ἀπεδέξατο), quorum tamen aliqua in evangelio secundum Marcum reperiuntur, sed alia forma: ex iis lexicis vocabulis, quae in mystico evangelio reperiuntur, in canonico evangelio secundum Marcum non reperiuntur tria (ὀργίξεσθαι, κῆπος, ἀποδέχεσθαι).

Κῆπος in mystico evangelio appellatur locus, quo situm erat sepulcrum. Similem cogitationem praebet evangelium secundum Ioannem 19, 41, ubi mentio fit de sepulcro Iesu. Dubium est, utrum auctor evangelii secundum Marcum de horto loquens uti voluisset voce κῆπου an potius χωρίου, quae latius patet et qua Gethsemani appellavit 14, 32, cum simili loco in evangelio secundum Ioannem 18, 1 vox κῆπου posita sit. Notatu dignum est κῆπον in mystico evangelio in simili constructione reperiri atque in evangelio secundum Ioannem loco proxime allato — in mystico evangelio: Ἰησοῦς ἀπῆλθεν μετ' αὐτῆς εἰς τὸν κῆπον, ὅπου ἦν τὸ μνημεῖον· in evangelio secundum Ioannem: Ἰησοῦς ἐξῆλθεν σὺν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ πέραν τοῦ χειμάρρου τοῦ Κεδρῶν ὅπου ἦν κῆπος.

Ὀργίξεσθαι, quamquam in evangelio secundum Marcum in vicesima septima, quae a Nestle et Aland denominata est, editione Novi testamenti non reperitur, tamen legitur in exemplari manu scripto D 1, 41 (hic est locus, quo de leprosi sanatione narratur),

idque eadem forma atque in mystico evangelio — *ὀργισθεῖς*· editio, quae a Nestle et Aland denominata est, habet *σπλαγχνίζεσθαι*. In hoc rerum contextu animus advertitur etiam ad alium consensum mystici evangelii et exemplaris D: nam in exemplari D, cum in evangelio secundum Marcum 8, 22 (*καὶ ἔρχονται εἰς Βηθσαιδάν*) pro Bethsaida Bethania reposita sit, locus ille, quo de caeci sanatione narratur, ab iisdem verbis incipit atque primum mystici evangelii fragmentum. Contra alii loci, quibus exemplar D ab editione, quae a Nestle et Aland denominata est, discrepat, in mystico evangelio non exemplaris D, sed editionis Nestle-Aland speciem praebent. In mystico evangelio scriptum legitur: *οἱ δὲ μαθηταὶ ἐπέτιμησαν αὐτῇ*, id quod congruit cum evangelio secundum Marcum 10, 13 in editione Nestle-Aland: *οἱ δὲ μαθηταὶ ἐπέτιμωσαν αὐτοῖς*· at in exemplari D legitur: *οἱ δὲ μαθηταὶ ἐπέτιμων τοῖς προσφέρουσιν*· similis quoque locus in evangelio secundum Matthaeum 19, 13 congruit cum evangelio secundum Marcum, ut est in editione Nestle-Aland. Haec verba mystici evangelii *ἤρξατο παρακαλεῖν αὐτὸν ἵνα μετ' αὐτοῦ ἦ* similia sunt iis, quae in evangelio secundum Marcum 5, 17—18 in editione Nestle-Aland leguntur: *ἤρξαντο παρακαλεῖν αὐτὸν ἀπελθεῖν [...] παρεκάλει αὐτὸν ὁ δαιμονισθεὶς ἵνα μετ' αὐτοῦ ἦ*· at in exemplari D legitur: *παρεκάλουν ἀπελθεῖν [...] παρεκάλει αὐτὸν ὁ δαιμονισθεὶς ἵνα μετ' αὐτοῦ ἦ* (sed confer etiam Hieronymi librorum sacrorum editionem Latinam). Denique in evangelio secundum Marcum in exemplari D *προσκυνεῖν* adiunctum est casui dativo (semel 5, 6, quia in exemplari D 15, 19 hoc verbum deest), sed in aliis exemplaribus manu scriptis, quibuscum congruit XXV editio Nestle-Aland, in evangelio secundum Marcum 5, 6 itemque in mystico evangelio casui accusativo. Sed haec res perplexior est: *προσκυνεῖν* saepius in evangelio secundum Matthaeum reperitur, ubi participio verbi, quod motum significet, adiungi solet (2, 8; 8, 2; 9, 18; 15, 25; 2, 11; 4, 9; 18, 26) similiter atque in mystico evangelio (*ἐλθοῦσα προσεκύνησε*), sed excepto 4, 10, qui de Vetere testamento depromptus est (sumptus est e Deuteronomio 6, 13 vel 10, 20 verbo *προσκυνεῖν* in locum verbi *φοβεῖσθαι*, quo Septuaginta interpretes usi erant, reposito, unde patet casus accusativus), in evangelio secundum Matthaeum non adiungitur nisi casui dativo, cui interdum locum dare videtur insequens *λέγειν* — *προσεκύνησεν αὐτῷ καὶ εἶπεν* aut *προσεκύνησε καὶ εἶπεν αὐτῷ*.

Ἀποδέχεσθαι, quod in secundo mystici evangelii fragmento reperitur, Lucae proprium est; in Novo testamento non reperitur nisi in evangelio secundum Lucam (8, 40; 9, 11) et in Actibus apostolorum (2, 41; 18, 27; 21, 17; 24, 3; 28, 30). Enuntiatio quoque *ἦν γὰρ πλούσιος*, quae in primo mystici evangelii fragmento reperitur, petita esse videtur ex evangelio secundum Lucam 18, 23, ubi de divite illo, qui Iesum convenit, scriptum est: *ἦν γὰρ πλούσιος σφόδρα*, cum similibus locis in evangelio secundum Marcum 10, 22 et secundum Matthaeum 16, 22 legatur: *ἦν γὰρ ἔχων κτήματα πολλά*· contra in mystico evangelio duae res huius narrationis eminent, quarum altera invenitur in evangelio secundum Matthaeum (hic dives erat adolescens), altera in evangelio secundum Marcum (Iesus intuitus eum dilexit eum). Evangelium secundum Lucam etiam ad locutionem *ἐκεῖθεν δὲ ἀναστὰς ἐπέστρεψεν εἰς...*, quae in fine primi fragmenti reperitur, aliquid contulisse videtur; participium *ἀναστὰς* verbo, quod motum significat, adiunctum cum evangelio secundum Marcum quidem congruit, quin etiam in evangelio secundum Marcum 7, 24 locutio *ἐκεῖθεν δὲ ἀναστὰς* invenitur, sed verbum *ἐπιστρέφειν* in mystico evangelio suspectum est; referri potest ad simile verbum *ὑποστρέφειν*, quo Lucas uti solet, praesertim cum in animo consideramus in evangelio secundum Lucam 24, 33, cum ea exponuntur, quae, postquam Iesus ad vitam rediit (!), facta sunt, dici: *καὶ ἀναστάντες αὐτῇ τῇ ὥρᾳ ὑπέστρεψαν εἰς Ἱερουσαλὴμ*· una et sola littera permutata esset

(ἐπέστρεψεν pro ὑπέστρεψεν). Ἐπιστρέφειν in evangelio secundum Marcum imprimis significat „converti“ cum proprie (5, 30; 8, 33), tum improprie (4, 12); significationem „reverti, redire“ habet 13, 16: καὶ ὁ εἰς τὸν ἄγρὸν μὴ ἐπιστρεψάτω εἰς τὰ ὀπίσω ἄραι τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ· hoc verbum in evangelio secundum Marcum iam nullo alio loco invenitur. Ideo in mystico evangelio potius exspectaremus aut verbum, ut ita dicam, commune ἀπέρχεσθαι (cf. evangelium secundum Marcum 8, 13) aut verbum, quo Iordanis *traiectio* significata esset, ut διέρχεσθαι (cf. evangelium secundum Marcum 4, 35) vel διαπερᾶν (cf. evangelium secundum Marcum 5, 21).

Mystici evangelii, quae exstant, fragmenta sunt additamenta evangelii secundum Marcum. Auctor epistulae, quae in monasterio sancti Sabbae reperta est, indicat, quo in evangelium secundum Marcum utrumque fragmentum additum sit. Primum fragmentum perturbat rationem itineris, quod Iesus Hierosolyma facit; nam Iesus, qui Hierosolyma e Iordanis ripa ad orientem spectante profectus esse videtur, Bethania, quae haud procul Hierosolymis est, trans Iordanem revertitur, deinde est Iericho, quae sita est inter Iordanem et Hierosolyma, et per Bethaniam et Betphage tandem Hierosolyma pervenit. Secundum fragmentum, quamquam pertinet ad locum, in quo aliquid ex archetypo evangelii secundum Marcum sublatum esse videtur, lacunam tamen parum bene explet.

In epistula, quae sequitur, numerorum notae, quae Arabicae dicuntur, versus indicant illius exemplaris, quod repperit Mortonus Smith. Puncta et puncta geminata ex eodem exemplari transcripta sunt; virgulas autem iacentes ob commoditatem lectionis addidimus, ubicumque verbum divisum est. Multa debentur iis, qui ante nos hac epistula occupati fuerunt. In annotationibus verba Latina Novi testamenti afferentes, cum editionem, quae nova vulgata dicitur, plerumque sequeremur, tamen hic illic ab ea discessimus; verba autem ceterorum scriptorum Graecorum in Latinum denuo ipsi convertimus.

^{1,1}+ ἐκ τῶν ἐπιστολῶν τοῦ ἀγιοτάτου κλήμεντος τοῦ στρωματέως· θεοδώρω·

²καλῶς ἐποίησας ἐπιστομίσας τὰς ἀρ-
ρήτους διδασκαλίας τῶν καρποκρατιανῶν·
³οὔτοι γὰρ οἱ προφητευθέντες ἀστέρες
πλανῆται· οἱ ἀπὸ τῆς στενῆς τῶν ἐντολῶν
ὁ- ⁴δοῦ εἰς ἀπέρατον ἄβυσσον πλανώμε-
νοι τῶν σαρκικῶν καὶ ἐνσωμάτων ἀμαρ-
τιῶν· ⁵πεφυσιωμένοι γὰρ εἰς γνῶσιν· ὡς
λέγουσι· τῶν βαθέων τοῦ σατανᾶ· λαν-
θάνουσιν εἰς ⁶τὸν ζόφον τοῦ σκότους τοῦ

^{1,1}Ex epistulis sanctissimi Clementis, Stromatum scriptoris. Theodoro.

²Bene fecisti, quod nefandas doctrinas Carpocratianorum^a compressisti. ³Haec enim sunt praedicta sidera errantia,^b ii, qui ab angusta via praeceptorum ⁴in infinitam altitudinem deerrant peccatorum carnis et corporis; ⁵gloriantur enim de cognitione, ut dicunt, altitudinum Sata-
nae^c ignorantes ⁶semet ipsos in caliginem tenebrarum^d mendacii conicere, atque iac-

^a Carpocratiani sive Carpocrati asseclae omnibus libidinibus dediti fuisse dicuntur, quia animum tandem e corpore in corpus transire vellent, dum omnes vitae modos expertus et per id liberatus ad Deum tolleretur; omnium praedicantes aequalitatem et communitatem uxores communes habuisse; Iesum Iosephi filium naturalem esse putavisse. De Carpocratianis exposuit Irenaeus Lugdunensis Contra haereses lib. 1, cap. 25 et Clemens Alexandrinus Stromatum lib. 3, cap. 2.

^b In epistula Iudae 13 sidera errantia appellantur haeretici, qui libidinibus dediti sint et dominationem Dei spernant. Clemens Alexandrinus Stromatum lib. 3, in fine cap. 2 dicit se putare epistolam Iudae a versu 8 ad versum 16 ad Carpocratianos eorumque similes haereticos pertinere.

^c Mentio de cognitione, ut dicunt, altitudinum Satanae fit in Apocalypsi Ioannis 2, 24, cum de ea doctrina exponitur, quae Thyatirae in Asia minore ad stupra facienda et ad carnem victimarum falsis diis sacrificatarum edendam suadeat.

^d Caligo tenebrarum reperitur in epistula Iudae 13 itemque in secunda Petri epistula 2, 17.

ψεύδους ἐαυτοὺς ἀπορρίπτοντες· καὶ καν-
 χόμενοι ⁷ἐλευθέρους εἶναι· δοῦλοι γεγό-
 νασιν ἀνδραποδώδων ἐπιθυμιῶν· τούτοις
 οὖν ἀν- ⁸τιστατέον πάντη τε καὶ πάντως·
 εἰ γὰρ καὶ τι ἀληθὲς λέγοιεν· οὐδ' οὕτω
 συμ- ⁹φωνοίη ἂν αὐτοῖς ὁ τῆς ἀληθείας
 ἐραστής· οὐδὲ γὰρ πάντα τἀληθῆ ἀλήθεια·
 οὐδὲ ¹⁰τὴν κατὰ τὰς ἀνθρωπίνας δόξας
 φαινομένην ἀλήθειαν προκριτέον τῆς ἀλη-
¹¹θοῦς ἀληθείας τῆς κατὰ τὴν πίστιν· τῶν
 τοίνυν θρυλουμένων περὶ τοῦ θεοπνεύ-
 στου κα- ¹²τὰ μάρκον εὐαγγέλιον· τὰ μὲν
 ψεύδεται παντελῶς· τὰ δὲ· εἰ καὶ ἀληθῆ
 τινά· ¹³περιέχει· οὐδ' οὕτως ἀληθῶς παρα-
 δίδοται· συγκεκραμένα γὰρ τἀληθῆ ¹⁴τοῖς
 πλάσμασι παραχαράσσεται ὥστε· τοῦτο δὴ τὸ
 λεγόμενον· καὶ τὸ ἄ- ¹⁵λας μωρανθῆναι·
 ὁ γοῦν μάρκος· κατὰ τὴν τοῦ πέτρου
 ἐν ῥώμῃ διατριβήν· ¹⁶ἀνέγραψε τὰς πρά-
 ξεις τοῦ κυρίου· οὐ μὲντοι πάσας ἐξαγ-
 γέλλων· οὐδὲ μὴν τὰς ¹⁷μυστικὰς ὑποση-
 μαίνων· ἀλλ' ἐκλεγόμενος ἅς χρησιμωτά-

tantes se ⁷liberos esse servi facti sunt
 servilium cupiditatum.^e His igitur ⁸omni
 modo resistendum est; nam etiamsi quid
 veri dicerent, tamen non consentiret ⁹cum
 iis veritatis amator, omnia enim vera non
 sunt veritas neque ¹⁰ea, quae ex homi-
 num opinione videtur, veritas anteponenda
 est verae ¹¹veritati, quae secundum fidem
 est. Ex iis, quae de divinitus inspirato^f
 et secundum ¹²Marcum scripto evangelio
 dictitant, alia omnino ementita sunt, alia,
 quamquam aliquid veri ¹³continent, non
 vere tamen traduntur; nam vera ¹⁴cum
 fictis commixta ita depravantur, ut, quod
 dici solet, sal quoque ¹⁵evanuat.^g

Marcus tum, cum Petrus Romae com-
 morabatur, ¹⁶acta Domini scripsit; omnia
 autem non enarravit neque ¹⁷mystica^h indi-
 cavit, sed elegit ea, quae utilissima putavit
 ad augendam ¹⁸catechumenorum fidem.ⁱ

^e In secunda Petri epistula 2,19 dictum est falsos magistros libertatem promittere, cum ipsi servi sint corruptionis.

^f In secunda epistula ad Timotheum 3,16 dictum est omnem Scripturam divinitus inspiratam esse.

^g In evangelio secundum Matthaeum 5,13: „Vos estis sal terrae; quod si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus.“ In evangelio secundum Lucam 14,34—35: „Bonum est sal; si autem sal quoque evanuerit, in quo condietur? Neque in terram neque in sterquilinum utile est, sed foras mittunt illud.“ Similiter in evangelio secundum Marcum 9,50: „Bonum est sal; quod si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis? Habete in vobis sal et pacem habete inter vos.“

^h Mystica sunt ea, quae ad mysterium pertinet; mysterium rursus est id, in quo fides religiosa versatur (cf. primam epistolam ad Timotheum 3,9) et quod communem cognitionem humanam transcendit. Apud paganos mysteria erant occulta sacra, quibus interesse non licebat nisi initiatis. — In evangelio secundum Marcum 4,10—12: „Et cum esset singularis, interrogaverunt eum hi, qui circa eum erant cum Duodecim, parabolas. Et dicebat eis: „Vobis datum est mysterium regni Dei; illis autem, qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt, ut videntes videant et non perspiciant, et audientes audiant et non intellegant, ne quando convertantur, et dimittatur eis.“ Similia verba leguntur in evangelio secundum Matthaeum 13,10—17 et secundum Lucam 8,9—10, sed cur Iesus in parabolis loquatur, mitius explicatur et „mysteria“ pluraliter dicuntur et verbo „dare“ adiunctum est verbum „nosse“, quo sententia accuratior fiat: „vobis datum est nosse mysteria“. His tribus solis locis in evangelii, quae canonica dicuntur, vox *μυστηρίον* reperitur; in epistulis crebrior est. Nomen adiectivum *μυστικός* in Novo testamento omnino non reperitur.

ⁱ Eusebius in Historia ecclesiastica 6,14 tradit Clementem Alexandrinum in Hypotyposibus, quarum non exstant nisi fragmenta, scripsisse „evangelii secundum Marcum hanc fuisse rationem: Cum Petrus Romae verbum Dei vulgaret et iuvante Spiritu sancto evangelium praedicaret, Marcum, qui Petrum iam diu comitaretur, ab auditoribus, qui frequentes essent, rogatum esse, ut Petri, quae memoria teneret, dicta litteris mandaret. Evangelium postquam confecisset, tradidisse iis, a quibus rogatus esset. Petrum, cum id comperisset, neque dehortatum neque adhortatum esse illum.“ In alium Historiae ecclesiasticae locum (2,15) transcriptit e sexto, ut ipse dicit, Clementis Hypotyposeon libro verba, quibus origo evangelii secundum Marcum sic exponitur: „Tanta pietatis lux animos auditorum Petri illustravit, ut litteris non consignatam divinae praedicationis doctrinam semel audisse satis non habentes Marcum, cuius nomini illud evangelium addicitur, omnibus precibus orarent, ut sibi, quia comes Petri esset, memoriae causa litteris consignatam relinqueret doctrinam, quae oratione tradita esset, nec prius orare desierint, quam opus confecisset. Ita occasio data est evangelii, quod secundum Marcum dicitur, conscribendi. Apostolus, cum id factum per Spiritum sanctum cognovisset, illorum hominum studio gaudens scriptum auctoritate sua confirmavisse atque ecclesiis legendum tradidisse fertur. Clemens haec exposuit in sexto Hypotyposeon libro neque dissimile testimonium dat episcopus Hierapolitanus nomine Papias.“ Papias testimonium affert in Historia ecclesiastica 3,39: „Oportet, ut nunc ad eius [i. e. Papias] supra allata verba addamus memoriam, quam de Marco, qui evangelium scripserat, prodidit per haec verba: „Hoc quoque presbyter dixit: Marcus, cum Petri interpret factus esset, Christi verba et facta, quae

τας ἐνόμισε πρὸς αὐ-¹⁸ξησιν τῆς τῶν κα-
τηχομένων πίστεως· τοῦ δὲ πέτρου μαρ-
τυρήσαντος· παρήλθεν¹⁹ εἰς ἀλεξάνδρειαν
ὁ μάρκος· κομίζων καὶ ταταυτοῦ καὶ τὰ
τοῦ πέτρου ὑπο-²⁰μνήματα· ἐξ ὧν μετα-
φέρων εἰς τὸ πρῶτον αὐτοῦ βιβλίον τὰ
τοῖς προκόπ-²¹τουσι περὶ τὴν γνῶσιν κα-
τάλληλα· συνέταξε πνευματικώτερον εὐ-
-²²αγγέλιον εἰς τὴν τῶν τελειομένων χρῆ-
σιν· οὐδέπω ὁμῶς αὐτὰ τὰ ἀπόρρη-²³τα
ἐξωρχήσατο· οὐδὲ κατέγραψε τὴν ἱερο-
φαντικὴν διδασκαλίαν τοῦ²⁴ κυρίου· ἀλλὰ
ταῖς προγεγραμμέναις πράξεσιν ἐπιθεῖς
καὶ ἄλλας· ἔτι προσε-²⁵πήγαγε λόγια
τινα ὧν ἥπιστατο τὴν ἐξήγησιν μυσταγω-
γήσειν τοὺς ἀκρο-²⁶τάς εἰς τὸ ἄδυτον
τῆς ἐπτάκις κεκαλυμμένης ἀληθείας· οὐ-
τως οὖν·²⁷ προπαρεσκεύασεν· οὐ φθονε-
ρῶς οὐδ' ἀπροφυλάκτως· ὡς ἐγὼ οἶμαι·
καὶ²⁸ ἀποθνήσκων κατέλιπε τὸ αὐτοῦ σύγ-
γραμμα τῇ ἐκκλησίᾳ τῇ ἐν·^{2,1} ἀλεξανδρείᾳ· ὅπου εἰσέτι νῦν ἀσφαλῶς εὖ μάλα τηρεῖται·
ἀναγινωσ-²κόμενον πρὸς αὐτοὺς μόνους τοὺς μνουμένους τὰ μεγάλα μυστήρια·

τῶν δὲ μι-³αρῶν δαιμόνων ὄλεθρον
τῶ τῶν ἀνθρώπων γένει πάντοτε μηχα-
νώντων· ὁ καρ-⁴ποκράτης· ὑπ' αὐτῶν δι-
δαχθεῖς· καὶ ἀπατηλοῖς τέχναις χρησάμε-
νος·⁵ οὐτῶ πρᾶξοντι τινὰ τῆς ἐν ἀλε-
ξανδρείᾳ ἐκκλησίας κατεδούλωσεν⁶ ὥστε
παρ' αὐτοῦ ἐκόμισεν ἀπόγραφον τοῦ μυσ-
τικοῦ εὐαγγελίου· ὁ καὶ⁷ ἐξηγήσατο κατὰ
τὴν βλασφημίαν καὶ σαρκικὴν αὐτοῦ δόξαν·
ἔτι·⁸ δὲ καὶ ἐμίανε· ταῖς ἀχράντοις καὶ

Postquam Petrus martyrio periit, ¹⁹Marcus
Alexandream transiit afferens suos et Petri
commentarios;^k ²⁰ex quibus transferens in
primum suum librum ea, quae contenden-
tibus ²¹ad cognitionem convenirent, confe-
cit spiritualius^l evangelium ²²in usum eo-
rum, qui initiarentur. Nequaquam tamen
silenda ²³enuntiavit^m neque hierophanti-
camⁿ doctrinam ²⁴Domini perscripsit, sed
actis, quae ante scripserat, alia addidit;
praeterea ²⁵quaedam verba adiecit, quo-
rum interpretatione audientes sciebat ini-
tium iri ²⁶in sacrarium septies opertae
veritatis. Ita igitur hoc ²⁷praeparavit haud
invidiose neque improvide, ut opinor; et
²⁸moriens scriptum suum reliquit eccle-
siae, quae ^{2,1}Alexandreae est, ubi etiam-
num tuto diligentissime asservatur et ²iis
solum legitur, qui magnis mysteriis initian-
tur.

ὅπου εἰσέτι νῦν ἀσφαλῶς εὖ μάλα τηρεῖται·

Carpocrates autem ab immundis
³daemonibus pestem in genus huma-
num omni tempore machinantibus ⁴doctus
et fallacibus artibus usus ⁵ita ecclesiae
Alexandrinae presbyterum quendam sube-
git, ⁶ut per eum abstulerit exemplar mys-
tici evangelii, quod ⁷interpretatus est
secundum opinionem suam ad Deum in-
famandum et corpus spectantem atque
⁸maculavit, puris et sanctis verbis ad-

memoriae mandaverat, accurate quidem, sed non ordine descripsit; Dominum enim neque audiverat neque comitatus erat. Posterius autem, ut dixi, comitabatur Petrum, qui, prout res postulabat, scholas habebat, sed contextum verborum Domini non faciebat. Itaque Marcus nihil peccavit, cum aliqua ita scripsit, ut meminerat. Id enim providit, ne quid eorum, quae audivisset, omitteret neve in iis mentiretur. Haec igitur de Marco a Papia narrata sunt.

k Ex Eusebii Historia ecclesiastica 2, 16 comperimus Marcum primum in Aegyptum missum id evangelium, quod ipse conscripsisset, praedicasse et Alexandriae ecclesiam constituisse. Secundum Historiam ecclesiasticam 2, 24 octavo Neronis imperii anno, id est anno Domini 61 vel 62, primus post Marcum ministerium in Alexandrina ecclesia suscepit Annianus. Hieronymus autem in libro, qui De viris illustribus inscribitur, plane dicit Marcum octavo Neronis anno mortuum esse.

l In Eusebii Historia ecclesiastica 6, 14 dictum est Clementem Alexandrinum „spiritalē“ appellavisse evangelium secundum Ioannem: „Postremus Ioannes, quae ad corpus spectant, in evangelii iam exposita videns discipulorum hortatu divino spiritu inflatus spiritale confecit evangelium.“

m Ἐξορχεῖσθαι, quod quasi „saltando effere“ significat, pertinebat ad mysteria paganorum, id quod e Luciani Samosatensis libro, qui De saltatione inscribitur, cap. 15 patet: „Omitto dicere ne unam quidem initiationem antiquam sine saltatione reperiri posse, quoniam Orpheus et Musaeus, qui tunc optimi saltatores essent, initiationes pulcherrimas esse volentes praeceperint, ut homines cum cantu ac saltatu initiarentur. Quae cum ita sint, sacra quidem tacenda sunt propter eos, qui initiati non sunt, sed inter omnes constat eos, qui mysteria enuntiant, saltando prodere (ἐξορχεῖσθαι) dici solere.“

n Hierophantes appellatur sacerdos, qui res sacras initiatis ostendebat atque interpretabatur.

ἀγίαις λέξεσιν ἀναμειγνύς ἀναιδέ-⁹στατα ψεύσματα· τοῦ δὲ κράματος τούτου ἔξαν-
τλήται τὸ τῶν καρποκρατι-¹⁰ανῶν δόγμα·
τούτοις οὖν· καθὼς καὶ προείρηκα· οὐδέ-
ποτε εἰκτέον· οὐ-¹¹δὲ προτείνουσιν αὐ-
τοῖς τὰ κατεψευσμένα συγχωρητέον τοῦ
μάρκου εἶ-¹²ναι τὸ μυστικὸν εὐαγγέλιον·
ἀλλὰ καὶ μεθ' ὄρκου ἀρνητέον· οὐ γὰρ
ἅπασι πάν-¹³τα ἀληθῆ λεκτέον· διὰ τοῦτο
ἡ σοφία τοῦ θεοῦ διὰ σολομῶντος παραγ-
¹⁴γέλλει· ἀποκρίνου τῷ μωρῷ ἐκ τῆς μω-
ρίας αὐτοῦ· πρὸς τοὺς τυφλοὺς τὸν¹⁵ νοῦν
τὸ φῶς τῆς ἀληθείας δεῖν ἐπικρύπτεσθαι
διδάσκουσα· ἀντίκα φη-¹⁶σί· τοῦ δὲ μὴ
ἔχοντος ἀρθῆσεται· καὶ· ὁ μωρὸς ἐν σκότει
πορευέσθω· ἡμεῖς¹⁷ δὲ υἱοὶ φωτός ἐσμεν·
πεφωτισμένοι τῇ ἐξ ὕψους ἀνατολῆ τοῦ
πνεύματος¹⁸ τοῦ κυρίου· οὐ δὲ τὸ πνεῦμα
τοῦ κυρίου· φησὶν· ἐκεῖ ἐλευθερία· πάντα γὰρ κα-

σοὶ τοίνυν οὐκ ὀκνήσω τὰ ἠρωτημένα
ἀποκρί-²⁰νασθαι· δι' αὐτῶν τοῦ εὐαγ-
γελίου λέξεων τὰ κατεψευσμένα ἐλέγχων·
ἀ-²¹μέλει μετὰ τὸ· ἦσαν δὲ ἐν τῇ ὁδῷ ἀνα-
βαίνοντες εἰς ἱεροσόλυμα· καὶ τὰ²² ἐξῆς
ἔως· μετὰ τρεῖς ἡμέρας ἀναστήσεται· ὧδε
ἐπιφέρει κατὰ λέξιν·

²³καὶ ἔρχονται εἰς βηθανίαν καὶ ἦν

miscens impudentissima⁹ mendacia; ex
hac mixtura hausta est Carpocratianorum
¹⁰doctrina. His igitur, ut supra dixi, nullo
modo cedere oportet¹¹ neque, cum com-
menticia sua proponant, concedere Marci
esse¹² mysticum evangelium, sed etiam
iure iurando negare; nam non omnibus
omnia¹³ vera dici oportet.^o Quapropter
sapientia Dei per Salomonem monet:
¹⁴„Responde stulto secundum stultitiam
eius,“^p ¹⁵docens lucem veritatis a caecis
animo abscondendam esse. Etiam dicit:
¹⁶„Ab eo, qui non habet, auferetur,“^q
et: „Stultus in tenebris ambulet.“^r Nos
¹⁷autem filii lucis sumus,^s illuminati sole
spiritus Domini oriente ex alto.^t ¹⁸„Ubi
autem spiritus Domini,“ inquit, „ibi liber-
tas,“^u „omnia“ enim „munda¹⁹ mundis.“^v

Non morabor tibi ad interrogata
respondere, ²⁰ipsis evangelii verbis com-
menticia illa refellens. Ita ²¹post „erant
autem in via ascendentes Hierosolymam“
et ea, ²²quae sequuntur usque ad „post tres
dies resurget“,^x haec omnia addit verba:

²³„Et veniunt Bethaniam.^y Et erat ibi

^o Confer Clementis Alexandrini Stromatum lib. 7, cap. 9, ubi dictum est: „Vera enim cogitat et dicit, excepto si quando tamquam in curatione, sicut medicus pro salute aegrotorum, mentiatur vel mendacium dicat, ut placet sophistis. Itaque Timotheum circumcidit nobilis apostolus [in Actibus apostolorum 16, 3], qui cum praedicaret et scriberet circumcisionem manu factam nihil prodesse [cf. epistulam ad Romanos 2, 25—29], tamen ne repentina defectione a lege ad cordis circumcisionem, quae manat e fide, depelleret ab ecclesia resistentes adhuc auditores Iudaeos, se Iudaeis accomodans Iudaeus factus est, ut omnes conciliaret.“

^p Eadem fere verba, quae e libro Proverbiorum 26, 5 petita sunt, in Clementis Alexandrini Stromatum lib. 5, cap. 3 reperiuntur. Septuaginta autem interpretes usi sunt aliis idem significantibus verbis: ἀποκρίνου ἄφρονι κατὰ τὴν ἀφροσύνην αὐτοῦ.

^q In evangelio secundum Matthaeum 25, 29: „Omni enim habenti dabitur et abundabit; ei autem, qui non habet, et quod habet, auferetur ab eo.“ Similis sententia in eodem rerum contextu reperitur in evangelio secundum Lucam 19, 26 et in alio rerum contextu in evangelio secundum Matthaeum 13, 12, secundum Marcum 4, 25, secundum Lucam 8, 18. Verba autem μὴ ἔχοντος non reperiuntur nisi in prius allatis locis evangelii secundum Matthaeum et secundum Lucam.

^r In libro Ecclesiastae 2, 14: „Sapientis oculi in capite eius, stultus in tenebris ambulat.“ Septuaginta interpretes rursus usi sunt voce ἄφρονος, non μωροῦ.

^s In prima epistula ad Thessalonicenses 5, 5 dictum est: „Omnes enim vos filii lucis estis et filii diei.“ In evangelio secundum Ioannem 12, 36 Iesus dicit: „Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis fiat.“

^t In Zachariae cantico (in evangelio secundum Lucam 1, 78) Christus appellatur „oriens ex alto“.

^u E secunda epistula ad Corinthios 3, 17.

^v Ex epistula ad Titum 1, 15.

^x In evangelio secundum Marcum 10, 32—34, ubi de tertia passionis praedictione exponitur.

^y Evangelium secundum Ioannem 11, 18 docet Bethaniam quindecim fere stadia (id est minus quam tria chiliometra) distare Hierosolymis, quo tendebat Iesus et discipuli eius (cf. evangelium secundum Marcum 10, 32—33); profecti esse videntur ex ea, quae ad orientem spectat, ripa Iordanis (cf. evangelium secundum Marcum 10, 1). — Confer in exemplari D evangelium secundum Marcum 8, 22: καὶ ἔρχονται εἰς Βηθανίαν.

ἐκεῖ μία γυνή ἧς ὁ ἀδελφὸς αὐτῆς ἀπέ-
24 θανεν· καὶ ἐλθοῦσα προσεκύνησε τὸν ἰη-
σοῦν καὶ λέγει αὐτῷ· υἱὲ δα- 25 βίδ ἐλέη-
σόν με· οἱ δὲ μαθηταὶ ἐπετίμησαν αὐτῇ·
καὶ ὀργισθεὶς ὁ 26 ἰησοῦς ἀπῆλθεν μετ' αὐ-
τῆς εἰς τὸν κῆπον ὅπου ἦν τὸ μνημεῖον·
καὶ 3,1 εὐθὺς ἠκούσθη ἐκ τοῦ μνημείου

una mulier, cuius frater mortuus erat.^z 24 Et
illa venit et adoravit^{aa} Iesum et dicit ei:
,Fili David, 25 miserere mei!^{ab} Discipuli au-
tem comminati sunt ei.^{ac} Et iratus^{ad} 26 Iesus
abiit cum ea in hortum, ubi erat monu-
mentum.^{ae} Et 3,1 statim audita est^{af} e mo-
numento vox magna.^{ag} Et accedens Iesus

^z Si ea, quae in evangelio secundum Ioannem 11, 1—43 de Lazaro ad vitam revocato narrantur, respicias, ille mortuus Lazarus esse tibi videatur atque illa mulier una e Lazari sororibus, aut Maria aut Martha. Mariam autem eam esse potissimum putes, primum quia in evangelio secundum Ioannem 11, 2 dictum est: „Maria [...], cuius frater infirmabatur,“ id quod simile est mystici evangelii; deinde quia in evangelio secundum Ioannem 11, 32 Maria, non Martha, ad pedes Iesu cecidit et in mystico evangelio paulo inferius dictum est illam mulierem Iesum veneratam esse (*προσεκύνησε*)· denique quia etiam in evangelio secundum Lucam 10, 39 Marthae soror Maria ad pedes Iesu sedebat. — In Graeco enuntiatio relativa habet supervacuum (sive expletivum) pronomen *αὐτός*. Hic pronominis usus e linguis Semiticis translatus esse putatur et inter alia reperitur in evangelio secundum Marcum 7, 25: *γυνή, ἧς εἶχεν τὸ θυγάτριον αὐτῆς πνεῦμα ἀκάθαρτον* (aliqua exemplaria manu scripta, quorum in numero sunt aleph, D, Θ, hoc loco pronomine supervacuo carent). Enuntiatio relativa, quam supra ex evangelio secundum Ioannem 11, 2 attulimus, pronomen supervacuum non habet, sed rursus id videbimus in secundo mystici evangelii fragmento.

^{aa} Verbum *προσκυνεῖν*, quod venerationem vel honorificam salutationem significat, in evangelio secundum Matthaeum 2, 11; 4, 9; 18, 26 adiunctum est participio verbi *πίπτειν* „cadere, procidere“, ut facta sit locutio *πεσῶν προσεκύνησεν αὐτῷ* „procidens adoravit eum“; hoc modo honos praestari solitus esse videtur, id quod etiam verbo *προσκυνεῖν* sine participio verbi *πίπτειν* significari potest, cf. illum locum, in quo de prece mulieris ethnicae narratur — in evangelio secundum Matthaeum 15, 25, ubi positum est verbum *προσκυνεῖν* sine participio verbi *πίπτειν*, scriptum legimus: *ἡ δὲ ἐλθοῦσα προσεκύνη αὐτῷ λέγονσα*, sed in evangelio secundum Marcum 7, 25 verbum *προσκυνεῖν* omnino deest: *ἐλθοῦσα προσέπεσεν πρὸς τοὺς πόδας αὐτοῦ*. Verba allata ex evangelio secundum Matthaeum 15, 25 simillima sunt eorum, quae in mystico evangelio reperiuntur, excepto eo, quod in mystico evangelio est non imperfectum verbi *προσκυνεῖν*, sed aoristos, non participium verbi *λέγειν*, sed modus indicativus atque verbo *προσκυνεῖν* adiunctus est casus accusativus.

^{ab} „Fili David, miserere mei!“ sunt etiam verba illius caeci, qui prope urbem Iericho Iesum allocutus est, idque in evangelio secundum Marcum 10, 48 (similiter 10, 47) et in evangelio secundum Lucam 18, 39 (similiter 18, 38). In evangelii autem secundum Matthaeum duobus locis — 9, 27 et 20, 30—31 — similiter clamabant duo caeci: „Miserere nostri, (domine,) fili David!“ Denique etiam in evangelio secundum Matthaeum 15, 22 mulier Chananaea ad Iesum clamabat: „Miserere mei, domine, fili David!“

^{ac} Discipuli idem tum fecerunt, cum homines offerebant Iesu parvulos, ut eos tangeret, ut iisdem verbis dictum est in evangelio secundum Marcum 10, 13 (cf. id, quod in praefatione diximus de exemplari D) et secundum Matthaeum 19, 13 et verbis haud multum discrepantibus in evangelio secundum Lucam 18, 15.

^{ad} Ex evangelio secundum Marcum 10, 14 comperimus Iesum, cum discipuli comminarentur iis, qui parvulos ei offerrent, id indigne tulisse (*ἠγανάκτησεν*)· similibus autem locis in evangelio secundum Matthaeum 19, 2—15 et secundum Lucam 18, 15—17 indignatio Iesu commemorata non est. — Confer in exemplari D evangelium secundum Marcum 1, 41, ubi Iesus iratus est (*ὀργισθεὶς*), antequam leprosum mundavit. — Etiam in iis, quae in evangelio secundum Ioannem de Lazaro ad vitam revocato narrantur, invenitur motus animi Iesu, postquam Maria ad pedes eius cecidit dicens verba reprehensionis (11, 32—38): „Maria ergo, cum venisset, ubi erat Iesus, videns eum cecidit ad pedes eius dicens ei: ‚Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus!‘ Iesus ergo, ut vidit eam plorantem et Iudaeos, qui venerant cum ea, plorantes, fremuit spiritu et turbavit seipsum et dixit: ‚Ubi posuistis eum?‘ [...] Quidam autem ex ipsis dixerunt: ‚Non poterat hic, qui aperuit oculos caeci, facere, ut et hic non moreretur?‘ Iesus ergo rursus fremens in semetipso, venit ad monumentum.“

^{ae} In evangelio secundum Ioannem 19, 41 dictum est sepulcrum Iesu in horto fuisse. — In evangelio secundum Ioannem 18, 1 *κῆπος* reperitur in simili verborum constructione: „Iesus exiit cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus.“

^{af} Locutio *φωνὴ ἠκούσθη* „vox audita est“ congruit cum evangelio secundum Marcum 1, 11 in exemplari Θ, ubi legitur: *φωνὴ ἐκ τῶν οὐρανῶν ἠκούσθη*, cum ea editio, quae a Nestle et Aland denominata est, habeat in hoc versu (similiter atque 9, 7) vocem *φωνῆς* coniunctam cum verbo *γίγνεσθαι* — *φωνὴ ἐγένετο* „vox facta est“. Confer evangelium secundum Matthaeum 2, 18: *φωνὴ ἐν Παύλῳ ἠκούσθη*, quae verba de Vetere testamento deprompta sunt.

^{ag} In evangelio secundum Ioannem 11, 47, cum Lazarus ad vitam revocaretur, Iesus voce magna ad mortuum clamavit. — Confer evangelium secundum Ioannem 5, 25—29: „Amen, amen dico vobis: Venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent. [...] Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem eius et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii.“ — Nonnulla in vita Iesu facta sunt cum voce vel cum magna voce, ita in evangelio secundum Marcum reperitur vox, quae facta est de caelis, cum Iesus baptizaretur (1, 11); magna vox,

φωνή μεγάλη· και προσελθὼν ὁ ἰησοῦς ἀπὸ
²ἐκύλισε τὸν λίθον ἀπὸ τῆς θύρας τοῦ μνη-
 μείου· και εἰσελθὼν εὐθὺς ὅπου ³ἦν ὁ νεα-
 νίσκος ἐξέτεινεν τὴν χειρα και ἤγειρεν αὐ-
 τὸν· κρατήσας· ⁴τῆς χειρός· ὁ δὲ νεανί-
 σκος ἐμβλέψας αὐτῷ ἠγάπησεν αὐτὸν και·
⁵ἤρξατο παρακαλεῖν αὐτὸν ἵνα μετ' αὐτοῦ
 ἦ· και ἐξελθόντες ἐκ ⁶τοῦ μνημείου ἦλ-
 θον εἰς τὴν οἰκίαν τοῦ νεανίσκου· ἦν γὰρ
 πλούσιος· και μεθ' ⁷ἡμέρας ἕξ ἐπέταξεν
 αὐτῷ ὁ ἰησοῦς· και ὀψίας γενομένης ἔρχε-
 ται ὁ ⁸νεανίσκος πρὸς αὐτὸν· περιβεβλη-

revolvit ²lapidem ab ostio monumenti.^{ah}
 Et ingressus statim, ubi ³erat adolescens,
 extendit manum et elevavit illum tenens
⁴manum.^{ai} Adolescens autem intuitus eum
 dilexit eum^{ak} et ⁵coepit illum deprecari, ut
 esset cum illo.^{al} Et egressi e ⁶monumento
 venerunt in domum adolescentis,^{am} quia di-
 ves erat.^{an} Et post ⁷dies sex^{ao} praecepit illi
 Iesus. Et vespere facto venit ⁸adolescens
 ad eum amictus sindone super nudo^{ap} et
⁹mansit cum eo nocte illa;^{aq} docebat enim
 eum ¹⁰Iesus mysterium regni Dei.^{ar} Inde

quacum exiit spiritus immundus e corpore humano (1, 26); magna vox hominis, qui a daemone vexabatur in regione Gerasenorum (5, 7); vox, quae venit de nube, cum Iesus tranfiguratus esset (9, 7); magna vox, quam edidit Iesus, cum cruci affixus esset (15, 34; 15, 37).

ah Iisdem fere verbis utuntur in evangelio secundum Marcum 16, 3 mulieres, quae veniunt ad sepulcrum Iesu et inter se dicunt: „Quis revolvit nobis lapidem ab ostio monumenti?“ nisi quod pro praepositione ἀπὸ in evangelio secundum Marcum posita est praepositio ἐκ, quae idem significat.

ai Descriptio loci, in quem Iesus ingressus est, et quomodo mortuum ad vitam revocavit, similitudinem habet cum iis, quae in evangelio secundum Marcum 5, 40—41 de filia Iairi ad vitam revocata exponuntur: „Ingressus, ubi erat puella; et tenens manum puellae ait illi: ‚Talitha, cum!‘ — quod est interpretatum: ‚Puella, tibi dico: Surge!‘“ Similiter socrus Petri ex febris sana facta est (in evangelio secundum Marcum 1, 31): „Accedens elevavit eam apprehensa manu.“ Confer etiam, quomodo Iesus leprosum mundaverit in evangelio secundum Marcum 1, 41: „Misertus [in exemplari D: iratus] extendens manum suam tetigit eum et ait illi: ‚Volo, mundare!‘“ — Quod mortuus ille in sepulcro erat adolescens, commemorari potest Iesum in evangelio secundum Lucam 7, 14 filio viduae, quem prope urbem, quae appellaretur Naim, a morte ad vitam revocaret, dixisse: „Adolescens, tibi dico: Surge!“ Praeterea postquam Iesus mortuus et sepultus est, in evangelio secundum Marcum 16, 5 dictum est: „Et introeuntes in monumentum viderunt iuvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, et obstupuerunt.“

ak In evangelio secundum Marcum 10, 21 eadem fere de divite, qui Iesum convenit, dicta sunt, nisi quod partes mutatae sunt; Iesus enim ibi agit, non patitur: „Iesus autem intuitus eum dilexit eum.“ Praeterea e simili loco in evangelio secundum Matthaeum 19, 20 et 22 comperimus divitem illum fuisse adolescentem. — In evangelio secundum Ioannem 11, 5 mentio fit de amore Iesu erga Lazarum: „Diligebat autem Iesus et Martham et sororem eius et Lazarum.“

al Cum de sanatione daemoniaci, qui domicilium habebat in monumentis (!), exponitur, in evangelio secundum Marcum 5, 17—18 dictum est: „Et rogare eum coeperunt, ut discederet de finibus eorum. Cumque ascenderet navem, qui a daemone vexatus fuerat, deprecabatur eum, ut esset cum illo.“ Maior similitudo cum mystico evangelio invenitur in Hieronymi librorum sacrorum editione Latina, ubi 5, 18 sic legitur: „Cumque ascenderet navem, coepit eum deprecari, qui daemone vexatus fuerat, ut esset cum illo.“

am Confer evangelium secundum Marcum 14, 3: „Et cum esset Bethaniae in domo Simonis Leprosi“, et quae sequuntur. Res similis ei, quae facta est domi Simonis Leprosi, scilicet Iesum unctum esse, in evangelio secundum Ioannem 12, 1—8 facta est apud Lazarum, quem Iesus a morte ad vitam revocaverat.

an Cur divitis expectatio, cum Iesum convenisset, decepta sit, in evangelio secundum Lucam 18, 23 explicatur sic: ἦν γὰρ πλούσιος σφόδρα „quia dives erat valde“. In evangelio secundum Marcum 10, 22 et secundum Matthaeum 19, 22 eadem causa aliis verbis expressa est: ἦν γὰρ ἔχων κτήματα πολλά „erat enim habens possessiones multas“.

ao In evangelio secundum Marcum 9, 2 et secundum Matthaeum 17, 1 de tranfiguratione Iesu narrandi initium fit his verbis: „Et post dies sex assumit Iesus Petrum et Iacobum et Ioannem (fratrem eius) et ducit illos in montem excelsum seorsum (solos).“ Animadvertite in evangelio secundum Matthaeum scriptum esse μεθ' ἡμέρας ἕξ, in evangelio secundum Marcum μετὰ ἡμέρας ἕξ. Sex dies reperiuntur etiam in evangelio secundum Ioannem 12, 1: „Iesus ergo ante sex dies Paschae venit Bethaniam, ubi erat Lazarus, quem suscitavit a mortuis Iesus.“

ap Cum Iesus comprehendebatur, in evangelio secundum Marcum 14, 51—52 dictum est: „Et adolescens quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo et tenent eum; at ille reiecta sindone nudus profugit.“ Verba Graeca, quibus vestitus adolescentis descriptus est, omnino congruunt. In annotatione *af* ostendimus similitudinem quandam esse mystico evangelio cum exemplari Θ, nunc autem oportet, ut dissimilitudinem indicemus: exemplar Θ ab editione Nestle-Aland et a mystico evangelio hoc differt, quod ibi non ἐπὶ γυμνοῦ, sed γυμνός legitur.

aq Confer in evangelio secundum Lucam 1, 56 enutiationem similiter compositam, quae pertinet ad Mariam, quae venit ad Elisabeth, postquam utraque concepit: ἔμεινε δὲ Μαριάμ σὺν αὐτῇ ὡς μῆνας τρεῖς „mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus“.

ar Confer annotationem *h*. — Confer in evangelio secundum Ioannem 3, 1—21 nocturnum colloquium de regno

μένος συνδόνᾳ ἐπὶ γυμνοῦ· καὶ ⁹ἔμεινε σὺν αὐτῷ τὴν νύκτα ἐκείνην· ἐδίδασκε γὰρ αὐτὸν ὁ ¹⁰ἰησοῦς τὸ μυστήριον τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ· ἐκεῖθεν δὲ ἀναστὰς: ¹¹ἐπέστρεψεν εἰς τὸ πέραν τοῦ ἰορδάνου·

ἐπὶ μὲν τούτοις ἔπεται τὸ· καὶ ¹²προσπορεύονται αὐτῷ ἰάκωβος καὶ ἰωάννης· καὶ πᾶσα ἡ περι- ¹³κοπή· τὸ δὲ γυμνὸς γυμνῷ καὶ τᾶλλα περὶ ὧν ἔγραψας οὐκ εὐ-: ¹⁴ρίσκεται· μετὰ δὲ τὸ ἔρχεται εἰς ἱεριχώ ἐπάγει μόνον·

καὶ ἡ- ¹⁵σαν ἐκεῖ ἡ ἀδελφὴ τοῦ νεανίσκου ὃν ἠγάπα αὐτὸν ὁ ἰησοῦς· καὶ ¹⁶ἡ μή-

autem surgens ¹¹reversus est^{as} trans Iordanem.“^{at}

Deinde sequitur „Et ¹²accedunt ad eum Iacobus et Ioannes“ et totus ille locus.^{au} ¹³At „nudus nudo“ et alia, de quibus scripsisti, non reperiuntur. ¹⁴Post „Venit Iericho“^{av} haec solum inserit:

„Et erant ¹⁵ibi soror adolescentis, quem diligebat Iesus,^{ax} et ¹⁶mater eius et Sa-

Dei inter Iesum et Nicodemum habitum. Nicodemus erat pharisaeus sicut in evangelio secundum Lucam 7, 36—50 Simon ille, cuius domi Iesus unctus est et cui in evangelio secundum Marcum 14, 3—9 et secundum Matthaeum 26, 6—13 respondet Simon Leprosus, qui Bethaniae habitabat, et in evangelio secundum Ioannem 12, 1—8 Lazarus.

^{as} Hoc de Iesu declaratur; sin aliter, narratio non conveniret in eum evangelii secundum Marcum locum, in quem eam insertam esse dictum est. — E narratione non patet, num Iesus trans Iordanem pervenerit. Potest, ut Iesus, cum in urbem Iericho venisset, per quam Hierosolymis (et Bethania) ad flumen Iordanem iri solebat, aliqua re, quam in canonico evangelio secundum Marcum reticere ex praecisione in 10, 46 conicias, adductus sit, ut rusus Hierosolyma, quo antea tendebat, reverteretur. — Confer evangelium secundum Lucam 24, 33, ubi, postquam Iesus ad vitam rediit (!), inter alia dictum est: καὶ ἀναστάντες αὐτῇ τῇ ὥρᾳ ὑπέστρεψαν εἰς Ἱερουσαλήμ „et surgentes eadem hora regressi sunt in Ierusalem“.

^{at} Bethania triginta circiter chiliometra ad occasum distabat a flumine Iordane; Origenes Commentariorum in evangelium secundum Ioannem lib. 6, cap. 24, centum octoginta stadia dicit. Cur Iesus prope Hierosolyma, quo tenderet, animum induxerit, ut trans Iordanem reverteretur, incertum est. Potest, ut hunc itineris flexum ideo invenerit auctor mystici evangelii, ut narrationem, in qua de adolescente Bethaniae ad vitam revocato exponeret, in eum evangelii locum inserere posset, quo Iesus iter Hierosolyma facit; nam paulo post eum locum, in quem narratio inserta est, Iesus est in urbe Iericho et deinde, cum appropinquat „Hierosolymae, Bethphage et Bethaniae ad montem Olivarum“ (in evangelio secundum Marcum 11, 1), omnia illuc pertinent, ut Hierosolyma introeat. Hoc loco oritur quaestio, utrum auctor mystici evangelii illam Bethaniam intellegi velit, quae sita erat prope Hierosolyma, an aliam Bethaniam, ad quod confer evangelium secundum Ioannem 1, 28, ubi facta est mentio Bethaniae „trans Iordanem, ubi erat Ioannes baptizans“ (Commentarii in evangelium secundum Ioannem loco, quem supra indicavimus, Origenes explicat hunc versum, quamquam plerique codices repugnent, non ad Bethaniam, sed ad Bethabaram pertinere, quae in Iordanis ripa sita esse dicatur, ubi Ioannem baptizavisse ferant). — Confer evangelium secundum Ioannem 10, 40, ubi Iesus, *antequam* Lazarus a morte ad vitam revocatus est, „abiit iterum trans Iordanem, in eum locum, ubi erat Ioannes baptizans primum, et mansit illic“. Quod Iesus propterea fecisse videtur, quia Hierosolymis eum interficere vellent. *Postquam* Lazarus a morte ad vitam revocatus est, Iesus abiit, ut in evangelio secundum Ioannem 11, 54 dictum est, in urbem, quae vocabatur Ephraim. Ephraim plerumque idem oppidum esse putatur, quod nunc Taibe appellatur et viginti fere quinque chiliometra Hierosolymis ad septentriones abest. Finem primi fragmenti mystici evangelii respicientibus nobis non indignum videtur commemorare saeculo XIX exeunte Mariam-Iosephum Ollivier, Gallum ordinis sancti Dominici ascriptum, operis, quod *La passion. Essai historique* inscribitur, lib. 1, cap. 2 hanc urbem Ephraim in ea, quae ad orientem spectat, ripa Iordanis sitam esse voluisse delegantem lectores ad Samuelis librum secundum 18, 6, ubi mentio fit de saltu Ephraim, in quo David proelium cum filio suo Absalom fecerit.

^{au} Evangelium secundum Marcum 10, 35—45, ubi expositum est Iacobum et Ioannem petivisse Iesum, ut alter ad dextram eius, alter ad sinistram sederent in gloria eius.

^{av} Haec esse videtur prior pars versus 46 in evangelio secundum Marcum 10, ubi tamen verbum non singulariter, sed pluraliter dictum est atque enuntiationi coniunctio καὶ praeposita est: καὶ ἔρχονται εἰς Ἱεριχώ. Hic versus suspicionem excitat aliquid inter duas enuntiationes, e quibus constet, omissum esse: „Et veniunt Iericho. Et proficiscente eo de Iericho et discipulis eius et plurima multitudo filius Timaei Bartimaeus caecus sedebat iuxta viam mendicans.“ Secundum autem mystici evangelii fragmentum hanc, quae videtur, lacunam parum bene explet.

^{ax} Hic adulescens idem esse potest, de quo in primo mystici evangelii fragmento narratum est; ibi autem commemoratus est amor adolescentis erga Iesum, non Iesu erga adolescentem. — Praeter eos, quos a Iesu amatos esse diximus in annotatione *ak* (divitem adolescentem et Lazarum sororesque eius), commemorandus est etiam „discipulus ille, quem diligebat Iesus“; huius mentio fit in evangelio secundum Ioannem (13, 23; 19, 26; 21, 7; 21, 20 adhibitum est verbum ἀγαπᾶν sicut in mystico evangelio, 20, 2 verbum φιλεῖν, sed nullo horum versuum in evangelio secundum Ioannem reperitur pronomen supervacaneum αὐτός, quo differunt a mystico evangelio; cf. secundam partem annotationis *z*).

τηρ αὐτοῦ καὶ σαλώμῃ· καὶ οὐκ ἀπεδέξατο αὐτάς ὁ ἰησοῦς·

¹⁷τὰ δὲ ἄλλα τὰ πολλὰ ἃ ἔγραψας ψεύσματα καὶ φαίνεται καὶ ἔστιν· ἢ ¹⁸μὲν οὖν ἀληθῆς καὶ κατὰ τὴν ἀληθῆ φιλοσοφίαν ἐξήγησις

lome,^{ay} et non recepit eas Iesus.^{az}

¹⁷Alia autem multa, quae scripsisti, mendacia videntur et sunt. ¹⁸Vera igitur et secundum veram philosophiam facta interpretatio...

INDEX LIBRORUM ET COMMENTATIONUM

Morton Smith: *Clement of Alexandria and a secret gospel of Mark*. Cambridge, Massachusetts 1973 (pp. 448—453: epistulae illius descriptio et imagines lucis opera expressae).

Michał Wojciechowski: *Tajemna Ewangelia Marka z listu Klemensa z Aleksandrii do Teodora*. In: *Studia Theologica Varsaviensia*, 37/1 (1999), pp. 41—52.

Petr Pokorný: *Fragment tzv. tajného Markova evangelia*. In: *Neznámá evangelia. Novozákonní apokryfy I*. Praha 2001, pp. 47—51.

Gianluigi Bastia: *Vangelo segreto di Marco*. 2009.

Petr Březina: *Markovo tajné evangelium*. 2011.

Novum testamentum Graece et Latine. 3. Aufl., Stuttgart 1994 (pars Graeca cum XXVII, quae a Nestle et Aland denominata est, editione congruit).

William F. Moulton — Alfred S. Geden: *A concordance of the Greek testament*. 2nd edition, Edinburgh 1899.

Septuaginta. Id est Vetus testamentum Graece iuxta LXX interpretes. Edidit Alfred Rahlfs. Stuttgart 1935.

Irenaeus: *Patrologiae Graecae tomus VII*. Edidit J.-P. Migne. Lutetiae Parisiorum 1857.

Clemens Alexandrinus: *Patrologiae Graecae tomi VIII et IX*. Edidit J.-P. Migne. Lutetiae Parisiorum 1857.

Eusebius Pamphili: *Patrologiae Graecae tomus XX*. Edidit J.-P. Migne. Lutetiae Parisiorum 1857.

^{ay} Salome in evangelio secundum Marcum postrema est trium illarum mulierum, quae aderant, cum Iesus cruci affigeretur (15,40), et quae sepulcrum Iesu invenerunt vacuum (16,1). Prima earum est Maria Magdalene, quae apud Christianos ad *occasum* habitantes ab antiquis temporibus eadem esse putatur atque mulier illa improba, quae in evangelio secundum Lucam 7,37—38 Iesum unxit, et Lazari soror, quae in evangelio secundum Ioannem 12,3 (cf. etiam 11,2) idem fecit; quando hoc putari coeptum sit, nescio; apparet autem hoc iam iis notum fuisse, qui exeunte saeculo VI audivissent Gregorii Magni vicesimam quintam et tricesimam tertiam Homiliarum in evangelia: in hac dictum est: „Hanc vero, quam Lucas peccatricem mulierem, Ioannes Mariam nominat, illam esse Mariam credimus, de qua Marcus septem daemonia eiecta testatur.“ Si concedamus eum adulescentem, de quo hoc mystici evangelii loco fit mentio, eundem esse, qui Bethaniae a morte ad vitam revocatus est, et igitur Lazarum, facile coniciamus auctorem mystici evangelii Mariam Magdalenen a Maria, Lazari sorore, non distinguisse atque intellegi voluisse primam, de qua hoc loco fit mentio, mulierem esse Mariam. Mater eius (*ἡ μήτηρ αὐτοῦ*) intellegi potest aut mater eius adulescentis, quem diligebat Iesus, aut mater Iesu; si hanc intellegentiam accipiamus, non indignum videatur commemorare secundam trium illarum mulierum, quae sunt in evangelio secundum Marcum, Iacobi minoris et Iosetis esse matrem nomine Mariam atque Iacobum et Iosetem in evangelio secundum Marcum 6,3 inter Iesu fratres numerari.

^{az} In evangelio secundum Marcum 3,31—35 ad Iesum venit mater et fratres, quos Iesus non recipit, sed dicit suum fratrem, sororem, matrem esse eum, qui fecerit voluntatem Dei.

- Eusebius: Werke. Zweiter Band. Die Kirchengeschichte. Herausgegeben von Eduard Schwartz. Leipzig 1903—1909.
- Hieronymus: Patrologiae Latinae tomus XXIII. Edidit J.-P. Migne. Parisiis 1845.
- Gregorius papa I: Patrologiae Latinae tomus LXXVI. Edidit J.-P. Migne. Lutetiae Parisiorum 1857.
- Lucianus Samosatensis: Opera ex recensione Guilielmi Dindorfii. Graece et Latine. Editio altera, Parisiis 1884.
- Marie-Joseph Ollivier: La passion. Essai historique. Paris 1891 (editio princeps), 1902 (editio, quam inspexi).